

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1592-1744

39
M. IACOBI CARPOVII

ILL. GYMNASII VINARIENSIS RECTORIS

PROGRAMMA

DE

RATIONE AVCTORES CLASSICOS

TRACTANDI GYMNASIASTICA

OCCASIONE

NATALIS AVSPICATISSIMI

SERENISSIMAE PRINCIPIS ET DOMINAE

DOMINAE

SOPHIAE CAROLINAE

ALBERTINAE

CONNVBII SORTE

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE

MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQUA IVRE

AVTEM PATERNI GENERIS MARCHIONIS

BRANDENBURGICAE DVCIS BORVSSIAE

CETERA

D. XVIII. IVL. CIQ. IOCC. XXXIX.

OLIM P V B L I C A T U M

IAM VERO AD MVLTORVM VOTA

EXPLENDA ALTERA VICE TYPIS EXCVSVM.



VINARIAE, IMPENSIS S. H. HOFFMANNI. M DCC XXXIX.

MICHAEL VERRONEI

1561

RATIONALE GREGORIENSIS

HATTAE AVANTIALE

1561

SOPHIA RICAROLINA

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561

1561



LECTORI COLENDΟ S. P.

I.

Si quis est forte, qui de auctōribus classīcī dictūrī genūs scripturā leue, nec satis dignūm solennitatē concelebranda iudicet, nil rectū putans esse, nisi quod ipsius morib⁹ conueniat, nec vlla rerum cognitione delestat⁹, nisi cui sublimitas quādam inesse videat⁹, nolo eundem ignorare, quod, occasione publici laboris scholastici scholastica, eaque talia, in quibus discentium magis, quam eruditōrum ratio haberetur, exarare, non inconsultum iudicauerim. Ex horum autem numero est ratio auctōres Classicos legendi Gymnasiastica, hoc est, talis, quæ adiuuenum, in Gymnasi palæstra militantium, ingenium pariter ac utilitatem accommodata sit. Quo de argumēto eo magis verba facienda esse putaui, quo maior nostra tempestate eorum numerus deprehenditur, qui veterum monumenta susque deque habendo, negligetque ex discentium manibus excutiendo, se suosque multis & egregiis priuant sapientiæ thesauris.

*Cur auctōr
de ratione
auctōres
classicos tra-
ctandi Gy.
mnasiastica
acturus sit?*

II.

Non equidem ignoro, in indagandis rerum præsertim natūralium rationibus sāpē ingenia recentiora inuentionis gloriam *An legenda
sint prisco-
rum scripta?*

præripuisse, aut dubiam saltim redditisse vetustioribus. Auctis enim per tam longum temporis tractum rerum obseruationibus, institutis, quibus maiores caruerunt, experimentis, in ordinem redactis, ex quibus omnis veritas estimari debet, regulis, constituti s denique per maiorum perspicaciam principiis cognoscendi, non emendare, in quibus forte erratum erat, dogmata, nec supplere hiatus, posteritati relictos, nec in bene dictis vterius ratiocinando progredi, nec minus coherentia nouo nexus habitu induere (*), tot sagacissimum virorum soler-
tissimæ

*Defensio
Commenta-
tionis nostræ
de anima
Christi ad-
uersus pro-
gramma
Lipsiense.*

(*) Quæ de veritatum nouarum inuentione & accuratori expositione dixi, ea, si non sinistre intelligantur, de ipsis etiam veritatibus Theologicis valere, abunde ex iis constat, quæ qua posterius membrum in Praef. Theologie Reu. Dogm. qua prius in Praef. *Commentationis de anima Christi hominis in se spectata* demonstravi. Quamvis eum & hanc *Commentationem* & prefarem eius indigne ferat ille, qui *Programma Lipsiense ad memoriam Nativitatis Christi anno 1737. pie recolendam* exaruit; non habet is tamen, quod cum ratione opponat. Quamobrem ad obiectiones illius, data hac occasione, brevibus respondendum est. Adserueram in Praef. Comment. cit. *de anima Christi*, fieri posse, ut ex veritatibus Theologicis, vel in re p̄ m̄ S. Scripturæ, vel ex analogia fidei perspectis, veritates alia antea incognitæ per legitimum concludendi modum deriuentur, h. e. ut in Theologia nouæ veritates inueniantur. Contra ea auctor *Programm.* cit. p. VI. *, facta antea dictæ *commentationis* mentione, opponit: *Hi* (puta: Carpouius, & quem mihi adiungit, I. Th. Canzius) *si cogi-
rent, vnam esse veritatem Euangelicam, canam scilicet illam propheticō-
apostolicā. A&T. X. 43. desinerent nouas veritates Theologicas
deregendas iactitare & promittere,* ita concludens:

Si vna est veritas Euangelica, sc. prophetico-apostolica, non possunt nouæ veritates Theologicas inueniri. Sed verum est prius. Ergo & posterius.

Distinguo autem & limito:

Si vna est veritas Euangelica, sc. prophetico-apostolica, non possunt nouæ veritates Theologicas, quæ vetustis adversentur, inueniri.

Ita

tissimæ industriaæ & que probosum fuisset, ac diligentioribus
A 3 disci-

In concedo totum argumentum. Nunquam enim oppositum illius docui, sed detestor omne inventum, veritatibus propheticis & apostolicis repugnans, satis gnarus, & ex infallibili S. Scripturae veritate (Theol. Reu. §. 222.) edoctus, omne humanæ mentis figmentum falsum esse, quod iis contradicit. Porro :

Si vna est veritas Euangelica, sc. propheticis & apostolicis, non possunt nouæ veritates Theologicae, qua vetustiorum propheticis & apostolicis legitimum consequens sint, inueniri.

Nego consequentiam. Deriuatio enim conclusionum nouarum ex eanis veritatibus propheticis & apostolicis has ipsas nullo modo tollit, sed supponit. An principia cognoscendi destruuntur, dum nouæ ex illis recte elicuntur conclusiones, quarum veritas vna cum principiis veritate adseritur? An vero deriuatio conclusionum ex principiis prohibita est? Annon Paulus voluit, ut in cognitione veritatum salutarium crescamus 1. Cor. XIV, 20. Eph. IV, 12, 15. Col. I, 11? Annon per hanc ipsam etiam nouarum conclusionum deriuationem in cognitione crescimus? Annon Theologi id quoque pro verbo diuino habuerunt, quod e S. Scriptura per legitimum concludendi modum deducitur? Annon ex hoc ipso fundamento contra Adrianum & Petrum, fratres Wallenburgios, aliorumque technas defensionem moliti sunt? Cur igitur mihi vitio vertis, quod & Paulus voluit, & menti Theologorum conforme est? Sed vna tantum est veritas Euangelica. Si ita hoc intelligas, quod totius Theologiae reuelatae ambitus vnicarum propositione absoluatur, non video, cur Theologi in Systematibus conscribendis operam perdant, neque cur tam amplam S. Scripturam Deus hominibus reuelauerit? Si ita, quod totus veritatum reuelatarum complexus sit via illa veritas Euangelica immutabilis, non id mihi repugnat, quia quidquid ex dogmatibus Theologicis recte deriuatur, ad eundem complexum veritatum reuelatarum pertinet. At ratio humana dominans est, qua multas veritates nouas, in Theologia quoque deregendas, promittit. Non ego promisi, etiam si id quoque dicto modo sine vitio fieret. Locutus sum in Praef. Comment. cit. de possibilitate inventionis veritatum nouarum Theologicarum. Si hoc etiam rationis humanæ dominantis esse dicas,

domi-

discipulis ludibrio sunt illi , qui non progrediendo regreduntur. At hoc quoque veritas explorata & ex confessio est, quod semina dogmatum recentiorum in scriptis maiorum , ut plurimum , delitescant , quod ordine mutato , quæ ex maioribus hausta

dominium rationis in Theologia & vsum eius legitimum confundis. Non autem iam operose in notionem genuinam de dominio rationis in Theologia inquitam. Disputabo tantum ex concessis. Concedis sine dubio, rationis dominium Theologiae Reuelatae noxiū esse. At derivatio conclusionum nouarum Theologicarum ex veritatibus Theologicis iam exploratis , quam inuentionem veritatum nouarum Theologicarum vocas, nullum plane, vii ex paullo ante dictis constat, canis veritatibus noxiam infert, sed iisdem, vii sunt, relictis suppositisque, cognitionem veritatis tantum auget. An hoc veritatis incrementum forsitan Theologiae noxiū est ? Sane non Theologiae in se, sed iis tantum, quorum, arctis finibus veritatis regnum circumscribi, interest. Quemadmodum igitur inuentio nouarum veritatum Theologicarum contra veritatem habetur pro dominio rationis in Theologicis, ita ex superioribus facile colligi potest, quam recte, & quam sapienter Programmati citati auctor scripsit : *ex mea de anima Christi Dissertatione adparere, quod mysterium omnium maximum de Christo rationis dominio subiecerim.* Nil enim in ista Dissertatione feci amplius, nisi quod theses theologicas de anima Christi in respectu distincte proposuerim & legitime demonstrauerim. Quod dum auctori Programmati est rationis in Theologia execrabilis dominium, opus est, vt ille in acroasis Theologicis theses Theologicas nec distincte proponat, nec probet legitime, ne dominii rationis in Theologia se reum reddat. At omnem, cui oculi mentis clausi non sunt, ab eiusmodi docendi ratione abhorrete, arbitror. De cetero dum prelo hæc iam subiecta erant, præter opinionem in Viri Ereditissimi Car. Günth. Ludouici Neuesten Merckwürdigkeiten der Leibnitz-Wolffischen Welt-Weisheit p. 474. inuenio, Programmati modo dicti auctorem, Dn. Henricum Claufingium, in alio etiam Programmate , cui titulus : *Tn̄ æxplorata r̄m̄ us Xeis̄ v̄ simplicitatem, quæ in Christo est, commendat, &c.* mihi insultasse. At quia id nondum videre licuit, discussionem illius alii occasione reseruo.

hausta sunt, magna ex parte nostra tempestate doceantur, quod denique, quos nostra fert artas, eruditio non dissimiles sint pygmæis, gigantum humeris insidentibus, a quibus eleuati longius ipsis prospiciunt. Quo se habente ita, auctorum vetustiorum lectio aut, ex ipsis cognitionis fontibus aquas dulcias bibi, efficit, aut mirum elegantissimumque vetustiorum cum recentioribus consensum ostendit, aut occasionem, distinctius rectius que veritatem enucleandi, suppeditat.

III.

De lectione igitur & tractatione auctorum classicorum *Auctor classi-*
Gymnasiastica disturus breuiter, illos ex vetustioribus, ut fieri *cus quid?*
 solet, me classicos vocare, qui elegantiæ sermonis præter ceteros
 operam dederunt, quique ob eandem rationem præ reliquis
 iuuentuti studiosæ legendi traduntur, moneo. Vti enim, teste
Gellio in Noct. Att. l. 7. c. 13, classici ciues in Romana Rep. diceban-
tur homines primæ classis, qui CXXV millia ebris ampliusue censi
erant, sic idem auctor scriptores vetustiores adsiduos, non prole-
tarios, h. e. primæ notæ, & præstantissimos classicos adpellauit
l. c. l. 19. c. 8.

IV.

Sed varii dantur eorum ordines. Alii fabulas, alii dialo- *Quo respectu*
gos comœdiasque, alii historias, orationes & epistolas alii, alii auctor de le-
carmina, adhuc alii philosophica, critica denique μελετήματα *etitione eorum*
quidam posteritati reliquerunt; quorum singuli ita sunt com-
parati, ut lectio eorum utilis & erudita suas sibi regulas requi-
rat. At quia in artum contrahenda est oratio, neque nobis
per angustiam terminorum prolixioribus iam esse licet, de illis
tantum, quæ ad omnes eorum ordines pertinere visa sunt, bre-
uiter disputabimus,

V. Sup-

Quid supponam?

Suppono autem, ne quis ad ullius scriptoris classici lectio-
nem clausis quasi oculis accedens, legat librum hominis, quem
non nouit. Quamuis enim non negem, ad id potius, quid di-
catur? quam quis dicat? respiciendum esse, exploratae tamen
veritatis res est, cognita auctoris persona & casibus, quos sensit,
aduersis prosperisue, longe facilius, plenius, & enucleatus sensum
libri non raro intelligi, quam vbi isthoc subsidio deficiamur.

V.

Quid faciendum sit ad peritiam linguarum ex auctoribus classicis adquirendum?

De ipsa lectione potius, quæ ad disciplinam Gymnasii per-
tinent, dicam. Ut alio loco dixi (**), duo sunt, in quibus stu-
diosa Gymnasii iuuentus præ ceteris erudienda est, peritia lingua-
rum & Philosophiae rudimenta, quorum prius ad memoriam,
posterioris ad iudicii culturam pertinet, etiam si neutrum plane
alterius excludat adiumentum. Vtrique autem dum Latino-
rum Græcorumque auctorum lectio bene ordinata maximam
utilitatem præstat, conuenit, ad utrumque pro ratione instituti
in præsentia attendere. Quod ad studium linguarum, Græcæ
præter ceteras & Latinæ, attinet, dictionem non tantum aptam
ornatamque, sed puram etiam & castam & ad priscorum loquendi
modum accommodatam ex auctoribus classicis hauriendam,
ob eamque rationem adsidua eorum lectione nil prius, nil anti-
quius iuuentuti studiose debere esse, in aprico est. Nam vnde,
quæso, Latinitatem rectius hauries, quam ex libris eorum, qui,
florente illa, maxime floruerunt? At quia iuventus tanta di-
scendorum copia nostra ætate obruitur, vt in solo linguarum
studio omne tempus consumere non licet, hoc est, de quo
quæritur potissimum: quomodo ex paucis multa discantur?
Non arbitror, me errare dicens, tum illud fieri, vbi ex quoli-
bet

(**) In Orat. de nexu studiorum Acad. & Gymn. Ill. p. 12.

bet penso discatur tantum, quantum nativa ipsius indoles permittit. Qui vt obtineatur finis, auctoris verba intelligere, origines & cognationes eorum perscrutari, structuram verborum ad præcepta Grammaticorum reuocare, solita ab insolitis discernerere, varios loquendi modos memoriae imprimere, necessarium quidem, sed non sufficiens est, quia in succum, vt dicunt, & sanguinem singula sunt conuertenda. Hoc, inquis, quælo, qui fit? Ad usum loquendi & scribendi quidquid lectum est, debet transferri, quo ipso non familiariores tantum redduntur formulæ dicensi, sed & tales, quæ salua lingua indole aliis similibus exprimendis inseruant. Sane hoc respectu labor iuuenum utrissimum est, vt quodlibet pensum lectum & intellectum ad aliam rem adplicare, & ita imitando iisdem verbis res diuersas exprimere nitantur. Quo enim purior, & quo probatior auctor est, quem loquendo scribendoque imitantur, eo elegantior erit, cui adsuient, loquendi modus. Adeo aliud exercitium, quod & ad copiam dictiōnum comparandam, & ad aestimanda earum pretia adprime accommodatum est. Fac, præceptorem pensum auctoris classici vernaculo sermone dictare, latino græcoue autem, prout huius vel illius ordinis auctor fuerit, calamo excipere discipulum. Cum vix fieri soleat, vt eandem rem iisdem verbis duo homines exprimant, versione discipuli cum ipsis auctoris verbis comparata, non tantum copiam dictiōnum hoc exercitio adquiret, sed etiam quid æra lupinis distent? facilius cognoscet, cui elegantia sermonis curæ cordique est.

VII.

Accedo, prætermisis aliis, ad alterum, quod Gymnasiastica disciplinæ proprium est, puta ad rationem, auctores classicos ad studium philosophicum & iudicij culturam adhibendi. Non est autem, cur tibi persuadeas, me iudice, philosophiam rectius ex veteriorum, quam recentiorum institutionibus hauriri. Non

An auctores
classici possint
iudicio acu-
endo inser-
uire?

enim

enim ignoro, recentiorum scripta usui commodisque iuuentutis magis accommodata esse. At varias nihilominus exercitationes philosophicas, ad excitandum animi vigorem & ad acuendam vim recte iudicandi efficacissimas, cum proeuctoribus in ipsa auctorum classicorum lectione institui posse, faciam iam, ut intelligas.

VIII.

*Quid faci-
enam sit
circa notio-
nes?*

Vt maxima ex parte res se habet, auctores classici subsunt in notionibus rerum claris. Notiones distinctæ & ex illis formatæ definitiones etiam si non desint vbiique, sunt tamen rariores. Vterque casus ansam exercitationi præbet. Si deficit notio distincta, si in clara, sed confusa adquieuerit auctor, quem legis, adsuefac discipulum ad claram in distinctam mutandam, iube definitiones nominales realesue rerum obuenientium formare, corrigere errantem. Quod in principio Herculeus labor erat, adsidua exercitatio ludum iocumque videri faciet. Fac porro, datam ab auctore rei, de qua loquitur, definitionem esse. Iube discipulum secundum regulas definiendi Logicas, quibus ante imbuendus est, eam examinare. Lauda, si mendam Logicam ipse ex earum norma perspiciat. Da ansam inueniendi querendo, si tarditas ingenii obiicit remoram. Forma obiectiones ipse, quarum solutio a disciente postuletur. Exige definitionem rectiorem & accuratiorem. Da ipse minus exercitato, ab ore tuo pendent. Iube denique discipulum ex notione inadæquata adæquatam facere, vt criteriorum rei etiam notiones distinctæ adquirantur. Sane ita applicatio reguliarum Logicarum familiaris discenti redditur! Ita in usum, non in obliuionem discit, quæ discit auditor! Ita, quod maioris est, ad distinctam veritatum cognitionem, auro contra non caram, manu quasi mature ducitur!

*Quid circa
propositio-
nes?*

IX.
Hancce exercitationem excipit alia, quæ cum propositionibus

bus periodisque rem habens, non minoris utilitatis est. Non autem iam de periodorum ad suas classes reductione, neque de compositarum in simplices, neque de compositarum simplium in suas propositiones analysi, de quibus ars oratoria præcipit, dicam, de propositionibus potius verba tantum facturus. Sæpe opinione difficilior dictu est, quodnam propositionis subiectum? quod prædicatum sit? nec tamen recte eam intelligit, qui hoc ignorat. Iube igitur discipulum pro regulis Logicis in id inquirere. Iube examinare, ad quam propositionum classem hæc referenda sit? Iube indefinitam in vniuersalem, vel particularem, vel singularem, pro re nata recte mutare. Iube quamlibet in thesin & hypothesin, compositam in simplices resoluere. Iube denique subalternationem, conuersionem & oppositionem, vt de his tantum loquar, recte instituere. Nulla harum exercitationum erit, quin auditorem cultorem, quin doctiorem reddat.

X.

Tum auctor dogmaticus adserta sua aut probat, aut illustrat, aut nude adserit. Singuli casus peculiaribus exercitatio-
nibus occasionem dant. Fac enim, auctorem rationes dog-
matum suorum dedisse. Quia omnis theses probatio per
modum argumentandi Logicum debet efferi posse, adsuefa-
ciendus est discipulus, vt datam adseriti rationem quærat, vt
ἀπολλογίσως dicta per formam concludendi debitam exprimat,
vt syllogismum vnius formæ in aliam conuertat, vt inquirat in
rationes præmissarum, vt attendat, vtrum ab auctore ulterius
probata, an principiorum cognoscendi indubiorum loco ad-
sumptæ, veræne, an falsæ sint? vt argumenta conuincientia a pro-
babilibus, solamque vim illustrandi habentibus solicite distin-
guat, vt de probabilitatis gradu in testimoniis excitatis recte
iudicet, vt in datis similitudinibus membra comparationis di-

stincte

B 2

stincte enunciet, ut denique obiectiones, aduersus thesin forte
formatas, soluat. Quantum hæc exercitatio ad acuendam in-
genii vim conferat, dici non potest. Nam veluti ars, cum
iudicio & fructu & ita aliorum libros legendi, ne in historica
adquiescas cognitione, sed philosophicam adquiras, exinde pen-
det, sic eadem efficit, vt ad verum a falso, solidumque a defun-
ctorio recte suo Marte discernendum, & ad errores aliorum
euitandos, mature iuuentus præparetur.

XI.

*Quid circa
non datas?* Finge porro, auctorem, quem tractas, dogmaticum in me-
ris adquieuisse adscriptionibus. Nouam hoc exercitationis ma-
teriam, licet paullo difficultioris, suppeditat. Nullum dogma,
veritati conueniens, rationibus suis destituitur, sed omne po-
tius in illo continetur veritatum nexus, quem summa ratio di-
uina continuo obit, & cuius particulas tantum nobis datur in-
tueri. Tantum igitur abest, vt vllum dogma ob solam dicen-
tis hominis auctoritatem pro vero adsumendum sit, vt rationes
investigare, & id tantum pro veritate rationis explorata habere
conueniat, cuius nexus cum aliis dogmatibus exploratis legitimi-
mus ante oculos positus est. Quid igitur ad excitandam atten-
tionem? quid ad alacriorem reddendam iudicandi vim? quid
ad muturandum rectæ rationis usum accommodatius erit, quam
vt ipsos auditores rationes dogmatum querere iubeas? vt præ-
reas ignorant? vt corrigas errantem? vt iuues titubantem? vt
viam & longinquo quasi ostendas, qua a conclusionibus ad pri-
ma usque principia cognoscendi eundum sit? Fieri profecto
non potest, quin his talibusque exercitata iuuentus, simulac ad
sublimiora studia admissa fuerit, exiguo temporis spatio profe-
ctus eorum vincat, qui enecato quasi sanæ rationis usu, omne
studium culturamque omnem rebus memoriae consecrant, eo-
que ipso ad res cum iudicio tractandas, ad examen veri rite in-
stituon.

Rituendum, ad soluenda obiciientium argumenta, denique ad res magnas suo Marte gerendas inepti redduntur & inhabiles.

XII.

Hanc auctores classicos tractandi rationem cur Gymnasia- *Cur talis au-*
sticam vocem? ratio in aprico est. Scholarum enim compa-
tatores classi-
rationem hoc vincunt Gymnasia, quod non linguarum notitia cos tractan-
tantum, eruditionis vehiculo, sed scientiarum etiam, maxime di ratio di-
philosophicarum, peritia discentes imbuant (*), & memorie^{catur gy-}*
auditorum consultura & rectæ rationis usui. Vtrique autem
satisfacere eam, quam exposuimus, auctores classicos tractandi
rationem, nemo tam omnibus sensibus est orbus, quin videat.

XIII.

Captum, inquis, discipulorum tanta rerum sublimitas ex- *An superet*
cedit. Talia enim hæc sunt, in quibus vel eorum ingenia, qui captum di-
principes eruditorum sunt, frustra sæpe exerceantur. Si de pigris sc̄entium?
bonarumque litterarum rudibus, si de iis, qui, humi quasi ser-
pendo, quidquid in cognitione sublime est, adspernantur, si de-
nique de pueris loquaris, rem totam tibi concedo. At vti pue-
ris linguarum exercitationes sufficere, arbitror, ita de illa potius
mihi sermo est iuuentute Gymnastica, quæ ad altiora studia
solide & iliterque tractanda præparari debet. Indolis erectæ iu-
ueni nil graue, nil difficile, nil imperium est. Omnia labor
*eius vincit adsidus, dummodo recta per inuia via common-
stretur. Scilicet hoc caput causæ est, vt post linguarum studium*
Logicæ aliarumque philosophiæ partium rudimenta distincte
iuuenes doceantur solideque, vt ad captum auditorum, quantum
fieri potest, se docens accommodet, vt examinando discentium
vires crebro exploret, vt denique, quæ docuit, in casibus ubique
obuiis doceat applicare. Quo facto, celerius opinione insti-
tueri licebit, quas delineavi breuiter, exercitationes.

(* *) vid. Orat. nostra de nexu stud. Acad. & Gymn. II. l. c.

XIV.

*Natalis Principis Se-
renissima ce-
lebrandus
eß.* Ast hancce orationis telam , qua & meæ institutionis ra-
tionem publice reddere , & iuuentutis emolumento prospicere,
et quum duxi , abrumpere iam iubet longe grauius & præstantius
dicendi argumentum. Illuxit enim dies natalis auspicatissimus,
desideratissimus

SERENISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
SOPHIAE CAROLINAE ALBERTINAE
SORTE CONNVBII

DVCIS SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE CETERA
IVRE AVTEM PATERNI GENERIS MARCHIONIS
BRANDENBURGICAE DVCIS BORVSSIAE
CETERA

PRINCIPIS ET DOMINAE NOSTRAE
CLEMENTISSIMÆ,

quem eo minus silendo præterire debuit illustre nostrum
Gymnasium, quo ampliorum beneficiorum vinculis

PATER PATRIAЕ SERENISSIMVS,
quem sospitem Deus saluumque seruet! id sibi obstrinxit , &
quo solemnioribus adclamationibus Aula , quo religiosioribus
supplicationibus ecclesia , quo denique ardenteribus votis
omnis ciujum multitudo eundem celebrat & prosequitur,

XV.

*Votum cum
oratorum
nouitorum
syllabo.*

Quemadmodum igitur felicitatem hanc anniversariam, sub-
mississime gratulabundi votorum haec summa est, vt
MATREM PATRIAЕ INDVLGENTISSIMAM
vitæ spatio extento , animi tranquillitate inconcessa , corporis
sanitate & fecunditate desideratissima , omnisque generis feli-
citate perenni beat , nobis autem ,

ER-

ERNESTO AVGUSTO SERENISSIMO
felix & diuturnum imperium tenente, speque patriæ vnica,
PRINCIPE HAEREDE SERENISSIMO

vna cum

FILIA BVS PRINCIPIBVS
SERENISSIMIS
indies latius auspiciatusque efflorescente, dicata hæc

PRINCIPIS

honori solennia sapissime iterandi facultatem concedat Numeñ
clementissimum: ita pio hoc natalis dominici religiose cele-
brandi officio in atriis nostris scholaſticis vterius perfungentur
quinque a morum integritate pariter ac ab amore studiorum
commendabiles primæ classis discipuli, quorum

I. IOANN HENRICVS ERNESTVS HERZER,
Heyda - Vinariensis,

PRINCIPI SERENISSIMAE

natalem exoptatissimum humillime gratulatus, NOMINIS
CELSISSIONI ratione habita, animi magnitudinem & sapientiam
Feminae Principis ornamenta esse, ostender; deinde, ut publica
eorum, quæ in superioribus de ratione autores classicos tra-
stanti Gymnasiaſtica differui, specimina darentur,

II. IMMANVEL WILHELMVS SCHNEIDER,
Martinroda - Vinariensis,

L. Pauli, triumphum olim apud Romanos acturi, preces admo-
dum memorabiles: *Vt, si quis deorum immortalium inuidet
operibus ac fortuna sua, in ipsum potius seuirent, quam in rem-
publicam*, a Velleio Paterculo Hist. Rom. lib. I. c. X. relatas, ad
principia rationis recta reuocabit; geminoque modo

III. GOTLLOB GOTOFREDVS REISE,

Buttstädiensis,
ad illustrandum egregium Plutarchi dictum: *'Eis τὴν παντελῆ
δικαιο-*

δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνθέμεν. Φύσιν καὶ λόγου, καὶ ἔθους καὶ
δὲ λόγου μὲν τὴν μάθησον, ἔθος δὲ τὴν ἀσκησιν, quod de Pueror.
educ. c. III. §. 15, legitur, de gradibus, quibus ad eruditionem ad-
scendimus, puta natura, institutione & exercitatione verba factu-
rus est; denique, ad solennitatem celebrandam respicientes,
IV. IOANN PAVLVS REINHARDT, Hildburghusanus,

V. IOANN ADAM WÜNSCHER, Micro-Trebra-Vinariensis,
de variis veterum natalibus agent, ita vt
alter,
quo sensu hominibus proprie vel improprie?
alter,
quo rebus inanimatis improprie natales tribuantur? exponat;
omnes, præter tertium & quartum, ne a solennitatis huius prima
origine nimis recederemus, sermone vñ vernaculo,

XVI.*Initatio.*

Quod laudabile institutum
vt audacter suscipient, confidentiusque perficiant
iuuenes oratores,
Vos,
**ILLVSTRIS GYMNASI PATRONI, FAVTORES, VIRIQUE
LITTERATI OMNIVM ORDINV**,

vt
splendidissima & honoratissima præsentia Vestra craftino die
post horam VIII. ante meridiem
solennia hæc Gymnasiaistica condecoreris,
& pro salute & incolumentate
STIRPIS SERENISSIMAE VINARIENSIS
preces vestras
cum virorum Scholasticorum & discipulorum votis coniungatis,
qua par est, obseruantia & humanitate rogo.

**P. P. VINARIAE, IPSO SERENISSIMAE MATRIS PATRIAE DIE
NATALI, XXVII. IVL. MDCCXXXVIII.**

72 919.

ÖN A 6610




V ① 18

5b.

W 17
C VD 18

Farbkarte #13



39

M. IACOBI CARPOVII
 ILL. GYMNASII VINARIENSIS RECTORIS
PROGRAMMA
 DE
RATIONE AVCTORES CLASSICOS
TRACTANDI GYMNASIASTICA
 OCCASIONE
NATALIS AVSPICATISSIMI
 SERENISSIMAE PRINCIPIS ET DOMINAE
 DOMINA E
SOPHIAE CAROLINAE
ALBERTINAE
CONNVBII SORTE
 DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
 MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQVA IVRE
 AVTEM PATERNI GENERIS MARCHIONIS
 BRANDENBURGICAE DVCIS BORVSSIAE
 CETERA
 D. XVIII. IVL. CIO IOCC XXXIX.
OLIM P V B L I C A T V M
IAM VERO AD MVLTORVM VOTA
 EXPLENDA ALTERA VICE TYPIS EXCVSVM.



VINARIAE, IMPENSIS S. H. HOFFMANNI. M DCC XXXIX.

